Cracov. Studior. Univ. Jag.
Promotiones Ord. Philos.
1678 29 Aprilis

Treter Matthias Casim. Zodiacus academicus in coelo Cracoviana.

# ZODIACVS ACADEMICVS IN CÆLO CRACOVIANO,

*Duodecim Signis,*

Hoc est,

*Duodecim Viris secundæ Laureæ Licentiatis*

Conspicuus;

*Aßistente sibi*

Motore & Promotore

*Excellentißimo ac Doctißimo Domino,*

D. M. MARTINO SŁONKOWICZ,

COLLEGA MAIORE,

Per me


*Decimum tertium huius Zodiaci igniculum*

MATTHIAM CASIMIRVM TRETERVM

Repræsentatus,

*Anno Domini 1648. 29. Aprilis.*

# IN STEMMA
## Vrbis Metropolitanæ Cracouienſis.



Pande CRACI ſedes totas in Stemmate Portas
Hoſpes cum Doctâ Pallade FAMA venit.

CLARISSIMIS, AMPLISSIMIS,

AC

MAGNIFICIS DOMINIS,

# D. PROCONSVLI, CONSVLIBVS, TOTIQVE SENATVI

Ampliſſimæ Vrbis CRACOVIENSIS Metropoleos Regni Polonici.

Dominis ſuis fauentiſsimis, felicitatem.

*AD vos potiſsimum pauca hæc Laureatarum frontium ſpectabant folia, ad quos ipſi Laureatarũ mentium pertinent & Flores & Fructus,* CONS: AMPL: *In toto videlicet Campi Sarmatici limite, nullus alius æquè ferax ager eſt, qui tam felicem Laurorum fundat prouentũ; Et vbertas hæc quidẽ Vrbis Veſtræ tametſi non quotannis ſuam exoluat fidem, ac biennem deniq; poſt decurſum fortunatum hunc Magiſtralium Laurorum excludat partũ, non ideò tamen tarditate minuit ſuauitatem; iam enim inolitus iſte ad magna tendentibus ritus eſt, lenteſcere: odère celeritatem quos gloria medio labore, deſtinat ad Æternitatem: Nullam aliam arborem Palladi æquè in odio eſſe ſcio, atq; eam cuius fructus citò protuberant; cautiorem nempe illam reddidit primus mortalitatis Parens, qui omnem boni & mali, in vno pomo deuorare aggreſſus*

*ſcientiam,*

*ſcientiam, ad tam celerem Vtriusq; Sapientiæ Doctoratum Inſignia non ab aliqua annoſa arbore ſed ficulnea petijt, quæ vti ad quemuis teporem, facile in folia gemmaſcit, ita ad quemuis flatum facilius concidit; Abſcedant ex Academico Parnaſſo præcoces Ficus, Laurorum hîc locus eſt, quæ ſuis exactæ ſpatijs tardos quidem, ſed æternaturos ferunt fructus. Has Lauros Veſtrâ hodie in Vrbe, ad felicis Iſtulæ profluuia pubeſcentes, Vobis fero* CONSVLES AMPLISSIMI. *par enim videbatur, vt in quorum creuêre Dominio, in eorundem deponerentur patrocinio. Veſter hic veſtræq; Vrbis quemcunq; nunc initiat Academia, inſcribit penna, Fætus eſt, & omnes iſtæ quas fero Lauri, aut generatione aut adoptione Cracouienſem meruêre incolatum: ac Indigenis quidem, quas felicior fortuna, huic ſtatim inſertas terræ in eam vſq; elactauit ac effouit maieſtatem, prima meritò debetur reuerentia: Nos verò reliquæ ſtirpes, quas peregrino Solo implantatas enutriuit ſapientia, doteſq; Genitalis terræ impertiuit, ſequimur hæredes illas, & in Veſtra venimus obſequia, per quorum adoleuimus ſubſidia. At Tu Fortunata Vrbs, quæ ſylueſcentes in alijs Poloniæ Campis, animatas arbores, in Tuo benigniùs effoues agro, Academicoq; irroratas fluento, mirabili metamorphoſi, tranſmutas in Lauros, vtere his ipſis Lauris ad triumphalem capitis decorem; ordireq; felix Trophæum, non de Numidis cum Scipione, non de Macedonibus cum Æmilio, non de fugaci Partho cum Pompeio, ſed quod laborioſiſſimum Victoriæ genus eſt, de tot Liberis, ipſaq; libertate innutritis, quæ ſub Academica concurrunt ſceptra ingenijs. Feliciorem nemo triumphum duxit, quàm qui animos ereptos turpiſſimæ ignorantiæ ſeruituti ſub Palladis iugū miſit. Ego verò Tibi ac Tuo ſummo Magiſtratui de his ipſis Laureatis Frontibus triumphaturo, ad primas obſequiorum ruo prædas, hancq; ipſam quam apud Te capio Tibi in ſeruitia repono ſecundam Lauream.*

*Æternus Cliens*

Matthias Caſimirus Treterus,
Eiuſdem Laureæ Licent.

# VRBS CRACOVIA,

## Cælum Orbis Polonici,

*In quo, Iupiter ille cui Gentilitia Sarmatiæ Aquila ab Armis Gentilitijs est, ſedem habet.*

QVo Te Sarmaticæ Regina CRACOVIA Gentis
Proſequar elogio? quales Tibi cernua fundet
Penna modos? Lechos quæ prætergreſſa Triones,
Iſtuleæ fœlix ſediſti margine ripæ,
Regalemq́ue Tuo gremio complexa VAVELVM
Toti ſceptrigeris Regno præcellis habenis.
Non Tibi, Troianæ mendax Faber Vrbis Apollo,
Fraudeque conductus iecit fundamina Nereus,
Fata Tuos poſuêre Lares; Honor egit aratrum,
Cum primos ducto ſignaret vomere muros,
Atque vrbem poſtquam ſulcus deſcripſit, in omne
Segmen, cæleſtem ſtillauit FAMA liquorem.
Inde loco ſtabili felicia ſecula paſſu
Proueniunt, nulloque Tuas Fortuna rotatu
Interuertit opes; Stas omni innoxia fato
Hactenus, & Vetulos æuum producis in Annos,
Ac ni me deludit Amor traxiſſe videris
Æthercam, ex illo FAMÆ libamine mentem,
Et quidam Æterni Genius per mœnia ſparſus

Eſt Tua, qui cunctos Fatorum ſupprimit ictus,
Nec ſinit inuiſæ Te frangi turbine ſortis.
Creſce diu fœlix Sedes, Orbiſque Poloni
Magne Polus (tali meritò Te nomine ditat
Muſa, Tui radijs, nimium perſtricta decoris)
In Te Sarmatici ſupremus Iuppiter Orbis
Perpetuas poſuit Sedes, Regaleque fulmen
Quo paruos cohibere Deos, & iuſſa ſuperbis
Ferre ſolet populis, CRACIA ſeruauit in Arce.
Hic quoque natiuis quem præfert LECHIA Ceris
Fulminis, & ſuperi terroris Portitor Ales
Non alibi melius candentes explicat alas.
Cætera quis tanti præſumat ſidera cæli
Ad tenues reuocare modos? numeriſque ligare
Vilibus? immenſos iam pridem Gloria faſtos
Æternis ducit calamis, vbi nomina tantum
Diuorum Indigetum CRACII concinnat Olympi.
At nobis habili ſacra ad Parnaſsia plebi
Sufficit, imbelles liceat quod pangere verſus,
Atque Tuis tenuem meritis intingere pennam.

## *Alma Mater* ACADEMIA *Zodiacus,*

### *Per quem omnium Planetarum eſt Via.*

TE verò CRACII digniſsima portio cæli
Et grande Lechiæ decus ACADEMIA
Quæ Iouis illius fæto, de vertice natam
Pallada nutritio, educas felix ſinu,

Quod

Quod carmen, dignâ poterit comprendere laude?
Quæ Muſa, meritis proſequetur laureis?
Tu veluti baltheus, diſcinctum qui ligat orbem,
Et illa Mundi ſuperioris faſcia
Nectis Sarmaticas, ſapienti compede Mentes,
Vinciſque ſtudijs diſſolutas Indoles.
Quâ ſine, Hyperborei compago tota Trionis,
Vt aſtra rupto laberentur baltheo.
O ſuperum donum! ô Lechæi cingule Mundi!
O Parrhaſiacæ tænia illuſtris plagæ!
Tu niſi naturam frenes, multâ arte Polonam,
Diſtracta magnas in breui rimas aget.
Sed benè caſuram ſuſtentas vndique molem,
Omneſque proprio cardine coerces polos.
Per Te, cuncta ſuos traducunt ſidera currus,
Errone ſi quæ digredi nolunt Viâ.
Per Te, Phæbus agit crinitos igne iugales,
Et commodatâ candicans ſoror face.
Quiſquis & in toto eſt Verſatilis Orbe Planeta,
Hoc limite ſuum, proſequi geſtit iter;
Nam trames nuſquam nitidis patet aptior Aſtris,
Et denſus alias obſidet hiatus plagas,
Quas, qui præcipiti tentant decurrere paſſu,
Facile caduci, lubrico nutant pede
Et Phaetontæas coguntur ferre ruinas,
Paterna, quando deſerunt veſtigia.
Ergo conſtantis, quos vrit culmen, Honoris
Huc frena totis applicate niſibus.

Hoc calle, ad ſummas rectâ decurritur artes,
Hoc iter, in ipſas deuehit FAMÆ domos.

*Excellentiſſimo ac Doctiſſimo Domino,*

D. M. MARTINO SŁONKOWICZ, Col: Mai. *Promotori digniſſimo, tanquam* Intelligentiæ Motrici, *quæ ſecundum Philoſophos cælis adſtat, Gratiæ.*

IMus ſigniferæ, qua via tæniæ
Tyrones animas, prouocat ad nouum
Cælorum ſtadium; Tu modo Athlanticos
Supponas humeros, Palladij ſacer
Motor Zodiaci; Noſque rudes viæ
Stellas, Æthereis inſere ſedibus,
Et cum per ſuperas ibimus orbitas
Feſsis propitiam, ſubijce dexteram,
Ne Miſti, medijs prodigijs Poli
Nutemus trepido, ſuccidui pede.
O noſtræ ratio tota Puertiæ,
Qui de plebeio ſepoſitos grege,
Transfers ad Clariæ caſtra ſcientiæ,
Supporta ſtationi, indociles nouæ,
Ne vertigo ſuo nos quatiat gradu.
In Te, præcipiti deflua pondere
Spes, ſeſe reliqui credidit agminis,
Et ſecura ſui nomine præducis,

Calcem

Calcem ad difficiles applicuit vias.
At Tu Palladium dirige in Æthera,
Motorisq́; replens munera ſpiritus,
Informa trepidos, ne titubent, pedes;
Et permitte ſacras prendere Laureas.
Imus non dubio, Turba celer gradu,
Et Te, quò faciles cunque Vocas ſequi,
Mox in diuiduo conſilimus pede.

## *Duodecim ſigna Zodiaci,* XII. *Viris ſecundæ Laureæ Licentiatis pro ſymbolis data.*

I. Aries. *Primum Cæleſtis balthei ſignum, ſymboli loco cedat, à quo Cæli annum, Sol curſum, Terra Ver inchoat. Cum Epigraphe.*

### Spes in herba.

### V.D. SEBASTIANO OBELSKI.

QValiter canæ refluunt pruinæ
Inque liquentes, abit omnis vndas
Bruma, cum celſis Aries reuexit
Vellera cælis.
Qualiter primo tepefacta Phæbo
Prata iucundas fruticant in herbas
Terraque in fætus patet, ac ſecundum
Exerit Vber.

Sic Tibi doctis, vbi Te Camænis
Applicas, tabet rigidum ſuperbi
Flamen erroris, refugumque cæcas
Cedit in Vmbras.
Tuque ſub doctæ face Veritatis,
In pias Muſarum adoleſcis herbas,
Quæ modò cingunt, Tua deſtinatis
Tempora ſertis.

II. TAVRVS. *Signum Solo æque ac Polo vtile, cum illi ad Aras, huic ad aratrum obſequium pendat, appoſitâ Epigraphe.*

## In vtrumque paratus.

V.D. IOSEPHO BELZA, Crac.

NOn ille mæſto quiſquis Agenori,
Vexit ſtupratam, transfreta filiam;
Minoiam nec qui nefando
Paſiphaen temerauit auſu
Bos in ſupernis emicat axibus.
Sed quem per acres, aſsiduus labor
Laſſauit æſtus, atque ſacris
Cælituum dedit enſis Aris.
En vt repandas explicat obuius
Tibi Æther vlnas, & patulis hiat
IOSEPHE rimis, qui per altos
Ædificas genium labores;

Nimi-

Nimirum inertes ſidera reſpuunt,
Et ille tantum repperit hoſpitos
In Aſtra poſtes, quem ſine vllâ
Motus agit Policus quiete.

III. GEMINI. *Caſtor & Polux, qui poſt Colchicam cum Iaſone nauigationem defuncti varijs periculis, cælos ex antiquitatis ſenſu meruêre; quibus tale ſit Lemma,*

## Hic terminus eſto.

V. D. BENEDICTO IVGOWIC Crac:

ANtequam celſos ſtetit inter Orbes
Flamma Ledæi Paris, & Polarem
Combibit lucem, prius acta multos
Pertulit æſtus.
Patrijs primùm procul exul oris
Colchicas remis adijt nouales,
Perque, tot fluctus, iter ad ſupernos
Quæſijt axes.
Et Tibi doctæ BENEDICTE Lauri,
Non ſtatim in dignam cecidêre frontem,
Perluit ſudor Tua ſæpè nauis
Tempora guttis.
At modò felix caput obſecundis
Impedi ramis, vbi cymba longos
Exſecans fluctus, tetigit cupitâ
Littora prorâ.

IV. CANCER. *Solstitio Æstiuo dicatum sidus, quod, quia retro Solem altius ire volentem cedere cogit, habeat Epigraphen.*

## Etiam retrogradus progredior.

V.D. ANDREÆ PAWLIKOWIC, Crac.

QVemcunque fœlix succutiet sitis
Transire in Almæ castra Scientiæ,
Doctæque deuotum Mineruæ,
Ad celebres dare nomen artes.
Hic irremisso, quos iniet semel
Discat labores, texere pollice,
Nec pectus ad licentiosæ
Desidiem retrahat voluptæ.
Hac arte, grandes prendis adoreas,
Hac, Laureatum PAWLIKOWIC capis
Mentis decorem, sponte currunt
In meritam sua serta frontem.
Nempe obsoleto transfuga ab otio,
Totos labori sic dederas dies,
Vt inquies, ipsâ in quiete
Pieridas sequerêre Musas.

V. LEO. *Calidissimum animal, & Rex Ferarum, cuius hæc perhibetur esse natura, vt etiam dormiendo apertos gerat oculos, cui sit Epigraphe.*

Nec

## Nec ſomnus ſine cura.

V.D. MATTHIA KOCZANKOWIC.

NEmo ſic totam ſtudijs Mineruæ
Auocet mentem, vacet vt ſeuero
Preſſa ſub clauſtro, nimiumque ducat
Oblita callum.
Quem ſacer flagranti Helicon amore
Vſsit, inſomnes vigilare noctes,
Et renaſcenti ſimul audet impal-
-leſcere Lunæ
Hic Tuos longo memorare poſſem,
Ore conatus, noue Laureatæ
Palladis Miſtes, ſolidaſque mentis
Promere dotes.
Vt Tibi Magni ſocio Cleantis
Sæpe traiecti cecidêre ſomni
Sed Tuam ducent meliore laudem,
Sæcula pennâ.

VI. VIRGO. *Deuotum doctis ſidus : Nam & Pallas Virgo, & Laurus ingeniorum præmiatrix, ex Virgine Daphne, integritatis ſuæ nimis tenace, ſi fabulis credimus, eſt. Habeat itaque Lemma*

## Procul eſte prophani.

V.D. STANISLAO KWIECISZ.

FRuſta tenaces exeritis manus,

Et obſtinato prenditis halitu,
Ignaua plebes, deſacratas
Emeritis animis coronas.
Fugit vel ipſum Laurus Apollinem,
Daphnen procaci cum premeret pede,
Procus minus pudens: honeſtas
Credite, frons amat iſta frontes.
At Tu decorum ſubijce Verticem,
Dignâque Vittas ſuſcipe dexterâ
Quas Virgo Virtus, ex Honoris
Fert Tibi STANESILAE ramis.
Hæc æuiterni pignora nominis,
Hæc ſerta Olympi prodroma ſplendidi,
Impendio emiſti ſagacis
Ingenij, Vigiliſque curæ.

VII. LIBRA. *Æquinoctio Autumnali dicatum ſidus, quod Solis curſum nocte ac die æquatis dimetitur, Symbolum fuit Aloyſij Carafæ Epiſc: Tricaricen: cum Lemmate,*

## Conſiſtam in Æquo.

V.D. LAVRENTIO KOLOWROCKI.

MAgnus humanas tenet ille mentes
Error, incerto quia ſæpe paſſu
Deuiæ, cæcæ furioſa laxant
Frena Iuuentæ.
Rarus ad pulchram, ſua facta Recti

Exijt

Exigit limam, veteriſque more
Herculis, firmo ſtadium laboris
Traijcit auſu.
Gratulor tantam Tibi iure laudem,
Magne LAVRENTI, quòd euntis æui
Tramitem nulla temeras licentis
Labe nefandi.
Sic Tibi cuncti ſinuantur anni,
Pulcher vt quòuis Honor atque Virtus
Emicet paſsu; medio libratus
Degis in æquo.

VIII. SCORPIVS. *Venenata beſtia, ſed quæ non niſi de prope nocet, geſtata enim dum lambit linguâ, ferit caudâ; addo illi Epigraphen.*

Nemo me tangat.

V. D. MARTINO KIELINSKI.

ABſcede vecors liuor, & inuidi
Dentata Momi lingua, nec arduas
Inceſſe Muſas, eſt & ipſi
Quo feriat iaculum Mineruæ.
Non ſic inermes deſtituit parens
Natura Muſas, quæ minimis quoque
Confert acinaces echinis,
Atque apibus ſua tela paruis.
Noli malignas inuidiæ minas

Meticuloſo prendere pectore
MARTINE: Totus iſte retro
In Dominos regeretur ictus.
Impune nemo Palladias ciet
In bella mentes, quas Dea Gorgonis
Tutatur obiectu, ac edaces,
In lapides, iubet ire linguas.

IX. SAGITTARIVS. *Intento neruo tela ad ſcopum collimans cum Epigraphe,*

## Noſtra non aberrant.

V.D. IOANNI CELESTA, Crac.

QVotquot iſtius ſtatione mundi
Degimus, Vitam profitemur omnes
Militem, & plenis ſequimur profana
Bella ſagittis.
Nec ſcopus quiſquam datur inquietum
Certus, ad iactum; noua vota vanis
Figimus telis, varieq́ue pronos
Tendimus arcus.
At Tibi nuſquam titubare caſſo
Miſſa de neruo, didicit ſagitta,
Semper in certam iacis expedita
Spicula, metam.
Perge doctarum iaculator artiûm,
Caſtra pugnacis ſequitor Mineruæ

Inq́ue

Inque longæuam pharetræ omne pondus
Exere Famam.

X. CAPRICORNVS. *Felicissimum signum, quod Augusto Cæsari Imperium, pariterque Cosmo Medicæo nascenti Magnum Hetruriæ Principatum, portendit, qui etiam, sidus hoc pro symbolo pinxit cum cornu copiæ & remo adscribens,*

## Fidem fati Virtute sequemur.

V. D. GREGORIO HOFFNER.

SI cui benignum sidus ad hospitos
Alluxit ortus, Parcaque mitior
Promiscuas exosa fusos,
Filo animam meliore neuit.
Non ille fatis oppositus suis,
Cor infideli distrahat otio,
Sed sortis hæres nauus, æquet
Magnanimis lucra tanta gestis.
Sat liberali cæca Tiche manu
Tuam GREGORI finxerat indolem
Magnasque dotes, in capacis
Transdiderat penetrale cordis.
At Tu beato concolor ætheri
Nil à fauenti degeneras Dea,
Sed dona vincens sortis, altâ
Exuperas Tua fata, mente.

XI. AQVARIVS. *Signum pluuium, quod benignos imbres affatim terræ communicans Docentium est Symbolum,*

## Aliquando refundam.

V.D. STANISLAO ZELECHOWSKI.

QVæ ſuper celſo, tumet vnda cælo
Et per occultos titubat meatus.
Non diu moto cadet in ſupinas
Obice valles.
Non ſibi tantos alit Æther Amnes,
Nec coquit clarum ſitis vlla Phæbum,
Cum bibit fontes; ſed auet anhelas
Paſcere terras.
Hactenus doctæ latices Mineruæ
Hauſeras illo ZELECHOWSKI ab Amne
Quem feri quondam ſoleata Pegaſi----
---- Vngula duxit.
Reſtat vt potas Heliconis vndas
Impluens Terris, modò laureatam,
Eliques pennam, atque rudi propines
Dogmata vulgo.

XII. PISCES. *Ob taciturnitatem Pythagoreis in Veneratione quondam habiti & omnibus veræ ſapientiæ alumnis ſymboli loco habendi, cum Epigraphe,*

Silemus

## Silemus ne sileamus.

### V. D. MATTHIÆ CASIMIRO PIOTRASZKIEWICZ.

NIl tam ſeuero, Theſpiades Deæ
Odêre vultu, quam temerarias
Si laxet ora per loquelas
Parciloquæ famulus Mineruæ.
Illæ & dicacem Pieridum chorum,
Ob faſtuoſum carminis ambitum,
Iuſſêre ſtrictiore linguâ
In tenues redigi volucres
O Te Beatum! qui meritâ vagam,
Linguam coerces ſepe ſilentij,
Olimq́ue proferenda ſtrictâ
Dictâ libras CASIMIRE lance.
Hinc illa pleno profluuio ſalit
Suadæ venuſtas, quam Taciturnitas
Scientiæ fæcunda mater
Perpetuo Tibi fundit Amne.

